

HUMANISTICA
LOVANIENSIA

JOURNAL OF NEO-LATIN STUDIES

Vol. XXVI-1977



LEUVEN
UNIVERSITY PRESS

THE HAGUE
MARTINUS NIJHOFF

*Gepubliceerd met de steun
van de Universitaire Stichting van België,
en van de Belgische Regering.*

© Universitaire Pers Leuven / Leuven University Press / Presses Universitaires de
Louvain, Krakenstraat, 3 - B 3000 Leuven/Louvain, Belgium

Niets uit deze uitgave mag worden verveelvoudigd en/of openbaar gemaakt door
middel van druk, fotokopie, microfilm of op welke andere wijze ook zonder
voorafgaande schriftelijke toestemming van de uitgever.

No part of this book may be reproduced in any form, by print, photoprint,
microfilm or any other means without written permission from the publisher.

ISBN 90 6186 066 0

Wettelijk depot : D/1977/1869/15

STATUTA
SOCIETATIS INTERNATIONALIS STUDIIS NEOLATINIS PROVEHENDIS

Articulorum Conspectus :

1. Qui fines sint et nomen Societatis.
2. Qui socii sint.
3. Qui Societatem regant.
4. De Societatis Commissionibus.
5. Quomodo regentes eligi debeant : de suffectis.
6. De consilio consultorum.
7. De conventibus doctis.
8. Qui Societatis personam gerant; qui Societati associari queant.
9. De scriptis prelo divulgandis.
10. De statutis recognoscendis.

Articulus I — Qui fines sint et nomen Societatis

I.A Societas eo fine et scopo condita est ut :

1. causa Latinitatis recentioris eiusque studia latius propagentur;
2. cuncti sodales ope scriptorum a Societate probandorum certiores fiant de iis quae ad rem suam pertineant, atque imprimis de institutione et indagationibus Neolatinis quaequae fiant in Studiorum Collegiis, Universitatibus, Institutis aliisque doctrinarum sedibus.
3. certis temporibus conventus docti inter omnes gentes convocentur;
4. ubicumque fieri possit, auxilium iis feratur, qui quaeve opera Neolatina seu typis edere seu commentationibus illustrare cupiant vel alia opera Latinitati recentiori conducibilia publici iuris facere velint;
5. litterarum Neolatarum institutio in omnes, ubi visum fuerit, scholarum ordines introducatur vel in iis augeatur.

Voces illae «Neolatinus» et «Latinitas recentior» litteras significant Latine cultas a primordiis Humanismi Italici.

- I.B Societas hoc nomen habebit : Latine, *Societas Internationalis Studiis Neolatinis Provehendis*; Anglice, *International Association for Neo-Latin Studies*; Francogallice, *Association Internationale d'Études néo-latines*; Italice, *Associazione internazionale di studi latini umanistici e moderni*; Germanice, *Internationale Gesellschaft für neulateinische Forschungen*; Hispanice, *Asociacion internacional para los estudios neo-latinos*; Nederlandice, *Internationale Vereniging voor neo-Latijnse studiën*.

Statuta publica Latina sunt.

Articulus II — Qui socii sint

- II.A 1. Ii et eae, qui quavis in schola litteras docent Neolatinas aut Latinitatem recentiore[m] docte scrutantur, aut in Instituto aliquo vel bibliotheca operam Neolatinam navant, si Societatis secretario nomen dederint, de iure socii fiant. Item alii homines docti, qui propter studia quae colunt Latinitatem quoque recentiore[m] respiciunt, a secretario admissionem petere possunt in Societatem.
2. Praeterea Commissio Exsecutoria potestatem habet eos easve adsciscendi in socios, quorum studia ad Latinitatem recentiore[m] utcunq[ue] pertinent.
- II.B Iusti socii omnes potestatem habent suffragii ferendi in Concilio negotiis singulorum conventuum expediendis habito.
- II.C 1. Singulis annis singuli socii solvunt symbolam, quae Kalendis semper Ianuariis debetur. Quam symbolam semel in plures annos solvere licet. Quanta autem futura sit haec symbola unus quisque conventus statuet in annos qui sunt ab eo conventu in proximum. Statuet vero secundum quod thesaurario visum erit et a Commissione Exsecutoria (de qua vide art. IV.B) nec non Concilio Negotiis Expediendis comprobatum. Commissio porro Exsecutoria propter adiuncta sibi perspecta symbolam sive minuere sive condonare totam potest.
2. Socii rude donati, qui quidem per tres saltem annos socii fuerint e solido, dimidiam tantum symbolam solvunt.
3. Concilium Negotiis Expediendis ex convento cum Consilio Consultorum potestatem habet statuendi utrum societates studiorumque sedes adsociatas rogaturum sit ut annuam solvant symbolam necne. Quodsi rogare visum fuerit, summam item statuet.

Articulus III — Qui societatem regant

- III.A Ad negotia Societatis moderanda et regenda viri mulieresve sunt quinque, qui creandi proponantur atque ad munera designentur secundum rationem infra Art. V descriptam. Sunt autem hi :
1. Praeses, qui eligitur in temporis spatium ab uno conventu ad proximum. Sibi continuo ipse succedat non licet, postea tamen iterum eligi potest.
2. Praesides Vicarii duo, quorum prior ex solito a Triumviris Suffragiis Ordinandis ut novus fiat praeses proponetur. Idem, dum vicarius agit, Consultorum Collegio praesidebit. Tertius autem a praeside Commissioni conventui proximo parando praesidebit ideoque praestat eum illi studiorum sedi esse ascriptum, quae proximum conventum hospitio recipiet. Denique si praeses necnon alter a praeside absunt ambo aut morbo laborat tertius praesidis officium persequetur. Ex solito tamen alter a praeside huius personam capiet in eiusve locum sufficietur, si praeses ex graviore morbo laborat vel aliter impeditur quominus munere

fungatur suo. Uterque vicarius munus obtinebit ab uno ad proximum conventum.

3. Thesaurarius, qui sex annos in officio erit aut ab uno conventu ad alterum, si per plus sex annos hoc spatium extenditur. Iterum eligatur in novum spatium idque continuum licet. Referet semper de statu aerarii ad Concilia negotiis conventus expediendis.
4. A Secretis, qui sex annos in officio erit aut ab uno conventu ad alterum, si per plus sex annos hoc spatium extenditur. Eligatur in nova deinceps officii spatia licet.

III.B Ut Societas indolem servet vere internationalem, origo geographica observari debet eorum, qui ad munera obeunda designabuntur. Vicarii porro praesides in quantum fieri potest eiusdem nationis ne fuerint.

Articulus IV — De Societatis Commissionibus

- IV.A Commissio esto suffragiis ordinandis. Quae commissio elenchum nominum praeparabit eorum, qui singulorum conventuum concilio proponantur suffragiis designandi ad singula Societatis regendae munia praeter tertium a praeside : cuius de creatione vide Art. IV C. Commissionis participes tres sunt, nempe praeses officio decedens, praefectus consilio consultorum et tertius aliquis socius ab hoc consilio designatus. Singulis officiis, excepto Praeside, bini pluresve candidati sunt proponendi. Alii etiam candidati proponi possunt a sociis in Concilio negotiorum conventus congregatis.
- IV.B Ad negotia Societatis inter duos conventus gerenda atque conventum proximum rite ordinandum, Commissio esto Exsecutoria, cuius participes sunt quinque, nempe praeses, uterque vicarius, a secretis et thesaurarius. Haec Commissio in officio erit a quo quinqueviri hi in conventus concilio suffragiis designati sunt adusque diem, qua in proximo conventu successorum electione nova Commissio Exsecutoria erit composita. Prout fieri potest et Praesidi visum erit, semel saltem in anno quinqueviri conveniant. Inter duos conventus potestatem habebunt nomine Societatis agendi intra terminos articulo horum statutorum.
- IV.C Commissio etiam esto conventui parando : quam commissionem constituet ipsius commissionis praeses, qui ascriptus esse debet studiorum sedi, quae conventum, qui paretur, hospitio accipit et eidem mandatum dat convocandi. Ut supra praescriptum est in Articulo III B huius commissionis praeses ipso facto est tertius a praeside Societatis. Secretarius autem et thesaurarius ex officio huius commissionis sunt participes. Praeses alios etiam sodales cooptare potest.
- IV.D Commissio esto Programmati conventus conformando. Quae commissio oratores seligito proximique conventus programma conformato secundum praecepta a Concilio negotiis conventus novissimi expediendis comprobata. Huic commissioni novus Societatis praeses

- praesidebit; participes autem erunt praefecti commissioni conventui parando et consultorum consilio, necnon a secretis Societatis.
- IV.E Commissio esto scriptis prelo divulgandis, ut infra in Art. IX exponitur. Huic commissioni praeponendus socius a Commissione Exsecutoria proponetur Concilio negotiis conventus expediendis, quod eum ad officium designato.
- IV.F Commissio esto institutioni litterarum Neolatarum provehendae (vide Art. I.A.5). Huic commissioni praeponendus socius a Commissione Exsecutoria proponetur Concilio negotiis conventus expediendis, quod eum in officium designato.
- IV.G Aliae etiam commissiones a Commissione Exsecutoria creari possunt aut peti a sociis in Concilio negotiis expediendis. Utraeque tamen comprobandae sunt in Concilio negotiis expediendis.
- IV.H Cunctae commissiones Concilio negotiis expediendis relationem libello mandatam tradere debent.

Articulus V — Quomodo regentes eligi debeant; de suffectis

- V.A Ii, qui Societatem regant sicut expositum est in Art. III A hac ratione eligantur oportet. Commissio Suffragiis Ordinandis elenchum praeparato, in quo nomen sit unius candidati praesidialis et binorum pluriumve singulis aliis officiis, excepto tamen tertio a praeside (de quo vide Art. IV.C). Sociis alios proponere licet litteris ea de re secretario missis ante Concilium negotiis expediendis. Nemo a Commissione Suffragiorum proponatur, nisi ipse consensum prius dederit. Propositiones ab aliis sociis factae per litteras communicentur oportet triginta minimum diebus antequam conventus congregetur. Faciendae autem sunt a socio, qui candidatum proponit, et altero quodam fautore, fiantque cum consensu ipsius candidati. Praeses officio decessurus Concilio negotiis expediendis praesidebit idemque negotium suffragiorum ferendorum moderabitur. Suffragia scriptis fiant sorticulis. Secretarius scripto notato quot sint electores. Electi sunt quoque una plures designaverint.
- V.B Societatis socii omnes eligi etiam possunt ad officia Consultorum — vide infra Art. VI — obeunda. Qui in hoc consilio personam gerant societatum vel institutorum Societati I.S.N.P. adsociatorum, ab eorum societate vel instituto designari debent. Qui vero disciplinae alicuius aliisque scientiarum provinciae nomine adsint, socii sunt Societatis I.S.N.P. Proponantur licet ab aliis sociis, modo bini sint suffragatores ut in V.A supra praescriptum est. Consultores eligantur oportet in Concilio Negotiis conventus Expediendis atque eadem ratione quae in V.A obtinet.

Articulus VI — De Consilio consultorum

- VI.1 Consilium esto Consultorum, quo iuventur et provehantur necessitudines doctae inter S.I.S.N.P. ex una parte, societates et instituta Societati I.S.N.P. adsociata ex altera parte (vide infra Art. VIII),

itemque inter S.I.S.N.P. et studiorum sedes vel instituta, in quibus eae disciplinae coluntur, quarum vice consultores in Consilio funguntur.

VI.B Consilii Consultorum participes sunt :

1. Singuli socii vicem implentes singularum disciplinarum maioris momenti, puta Artis, studiorum classicorum, historiae, legum, linguisticae, bonarum litterarum, musicae, philosophiae, scientiarum physicarum et mathematicarum, theologiae etc.;
2. Persona gerentes societatum et institutorum S'I.S.N.P. adsociatorum, quae singula singulos habent consultores.

VI.C 1. Numerus eorum, qui disciplinarum maiorum nomine in Consilio adsint, certis temporibus a Concilio negotiis Societatis expediendis definiatur.

2. Ii consultores in officio manebunt adusque proximum negotiorum Concilium atque iterum denuoque designari possunt.
3. Qua ratione consultores proponi et suffragiis designari debeant videsis Art. V.B.

VI.D 1. Societates et aliae studiorum sedes, quae S'I.S.N.P. adsociari cupiunt, admissionem petant a praefecto Consilio Consultorum, qui petitionem Concilio negotiis expediendis tradet ut de ea statuat. Ipse praefectus ultro potestatem habet invitandi societates aliasve studiorum sedes ut se ad S.I.S.N.P. applicent.

2. De symbola ab adsociatis solvenda videsis Art. II.C.3.

VI.E Praefectus esto Consilio Consultorum, qui eligatur oportet in Concilio Negotiis Expediendis. In officio manebit adusque conventum proximum alterque erit a praeside Societatis. Praefecto mandabitur ut consultorum consilia, suasiones vel petitiones cum Commissione Executoria communicentur. Item consultores primo proximi conventus die congregantur ut ea tunc parentur, quae ad Commissionem Executoriam referenda sunt, et tertius ille socius eligatur in collegium suffragiis ordinandis. Praefectus particeps quoque erit Commissionis programmati conventus conformando (vide Art. VI.D). Denique alter erit a praeside Societatis, ut statutum est in Art. III. A.2.

VI.F Praefectus auctor esto ordinis rerum in consultorum congregationibus agendarum. Curabit item ut consulta perscribantur, quae cum omnibus Societatis sociis communicentur.

Articulus VII — De conventibus doctis

VII.A Conventus Societatis internationalis tertio quoque, quarto vel quinto dumtaxat anno convocabitur in civitates, quas Commissio Executoria in singulis conventibus Concilio negotiis expediendis commendabit.

VII.B Exceptis invitatis, socii tantum Societatis ius habent ut orationem proponant Commissioni Programmati conformando, quae de ea statuat. Solis etiam sociis singulis conventibus interesse licet, modo

- in partem impensae stipem solverint a Commissione Conventui parando definitam. In omni tamen conventu una pluresve acroases aut actiones aliae, prout Commissioni conventui parando visum erit, adiri possunt ab omnibus adesse cupientibus.
- VII.C Commissio Exsecutoria potestatem habeto invitandi quosdam ad conventum, qui non sunt socii, ratione quidem habita et alia et hospitii, quantum in loco praesto sit. Commissio indicato debeantne invitati stipem conferre necne.
- VII.D In singulis conventibus generale concilium habeatur, in quo, disputatione facta, argumenta et causae proximi conventus a sociis comprobentur, item suffragia ferantur et cetera negotia in aliis Statutorum articulis praevisa expediuntur. Quod Concilium nuncupetur a Negotiis conventus Expediendis.
- VII.E Ordo rerum in hoc concilio agendarum uno minimum mense ante conventum ad omnes socios a secretario circummittatur oportet. Si qui socius quaestionem inter has res proferre velit, duobus mensibus antequam conventus fiat litteras ea de re mittat Societatis praesidi.

Articulus VIII — Qui Societatis personam gerant; qui Societati adsociari queant

- VIII.A Postquam Commissio Exsecutoria suasit et Concilium Negotiis Expediendis comprobavit, Societas aliis studiorum collegiis scopo suo convenientibus seu nomine saltem seu persona interposita adesse potest. Societatis autem in aliis congregationibus vel conventibus is tantum personam gerat, cui Commissio Exsecutoria munus mandaverit.
- VIII.B Societates et studiorum instituta, quae S¹.I.S.N.P. adsociari velint, agunt ut praevisum est in Art. VI.D.

Articulus IX — De scriptis prelo divulgandis

- IX.A Acta uniuscuiusque conventus ea formula edantur, quae Societatis consentanea est finibus. Cura autem libri Actorum prelo parandi penes Commissionem Programmati eiusdem conventus conformando esto.
- IX.B Nuntii ad res Neolatinas pertinentes certis temporibus opera S¹s.I.S.N.P. in uno pluribusve commentariis divulgabuntur. Publicas vero renuntiationes secretarius ipsis sociis mittito.
- IX.C Alia etiam scripta interdum a Commissione Exsecutoria commendari possunt. Commissio itaque esto scriptis prelo divulgandis, cui socius aliquis suasu Commissionis Exsecutoriae praeficiatur. Is ex officio particeps erit Commissioni actis edendis, de qua supra in paragrapho A.

Articulus X — De statutis recognoscendis

Rogationes ut statuta recognoscantur aut novis articulis augeantur per litteras encyclicas circummittantur oportet duobus mensibus ante conventum, qui ea de re disputaturus sit. Statuta ut mutantur, necesse est ut in sententiam rogationis duae minimum eant partes suffragiorum eorum sociorum, qui in Concilio negotiis conventus expediendis rite denuntiatio adsunt et suffragia ferunt.